~~Formula~~) für die Entgegennahme der Rechnungen der Offiz. durch die Auditores curie vom 3. April 1281 | Forma

RA n. 41 (Carolus I 1281 A) f. 121b

RA 1281 A n. 41 f. 121b   Am Rande: Forma rationum.

Nobili viro Lodoyco de Montibus etc.   Scriptum est

Cum nostra nuper providerit celsitudo, ut raciones nostrorum officialium per auditores curie nostre Neapoli commorantes recipiantur et audiantur et in ipsarum recepcione subscriptus modus et forma per eos tenaciter observetur: videlicet quod receptis racionibus ipsis predicti auditores liquidum residuum eliciant et assumant ex eis et statim residuum ipsum sive in pecunia aut victualibus seu quacumque[1] alia specie consistens tibi pro parte curie nostre referant, ut ad ipsius exaccionem et recollectionem per te efficaciter procedatur, et quod in eis dubia et defectus, pene etiam eisdem officialibus nostris tam per mandata nostra, quam quorumcumque aliorum officialium pro parte curie nostre imposite, qui et que in racionibus ipsis inveniuntur, secundum ritum et formam racionum ipsarum in marginibus quaternorum officialium eorum notentur nec ad ipsorum decisionem aliquatenus auditores ipsi procedant, cum ipsorum omnium decisionem et determinacionem beneplacito nostro et provisioni magistrorum racionalium magne curie nostre in felici reditu nostro in regnum penitus reservemus, fidelitati tue precipimus, quatenus in racionibus ipsis recipiendis et audiendis predictam formam et modum per auditores ipsos usque ad predictum nostrum reditum facias observari. Tu vero predicta residua liquida

1) Reg.: quantumcumque